



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio VI. De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

pere anxius, quando ex sua parte bona fide processit, & moraliter ei non constat confessarium non habuisse iurisdictionem.

Quartò, si confessio non fuit formaliter integra, vel quia peccatum mortale commissum, voluntariè non fuit explicatum, vel quia non commissum fuit explicatum, vel quia sufficiens discussio conscientie non fuit præmissa, ita ut negligentia fuerit mortalis, quod addo, quia si solum fuerit venialis, non impedit vel necessariam integritatem confessionis, vel fructum Sacramenti: si verò fuerit mortalis, semper impedit, ut tradunt plures contra Sorum dist. 18. quæst. 3. art. 3. conclus. 3. docentem requiri negligentiam crassam, quam videtur distinguere à mortali. circa hæc

Qui habet curam animæ, ne sibi persuadear suas confessiones fuisse inuales defectu examinis.

Aduerte 1. ex Victoria num. 161. eos qui curam habent animæ suæ, non faciliè deficere in examine conscientie, & proinde non debere sibi persuadere confessiones ex parte defectus examinis sufficientis fuisse inuales, & tanquam tales repetendas.

Aduerte 2. eum, qui in confessione notat se leuiter conscientiam examinasse, debere illud ipsum confiteri, debere etiam de peccatis per confessarium interrogari. quibus interrogationibus si defectus penitentis suppleri possit, eum posse absolui, & posse esse securum, si verò propter temporis diuturnitatem etiam per sacerdotis interrogationes non possit numerus peccatorum probabiliter iniri, speretur autem illum posse iniri per exactius examen, remittendum ut diligentius se examinet.

Dico, speretur, propter simpliciores qui non possunt conscientiam faciliè examinare, qui non sunt faciliè remittendi, sed à confessario examinandi, prout spectato eorum statu, & occasionibus peccandi commodè potest.

138.

Aduerte 3. quibus casibus propter inualiditatem Sacramenti confessio est repetenda, non statim opus esse repetere omnes confessiones intermedias, quia fieri potest quod in huiusmodi intermedijs nihil fuerit culpabiliter prætermisum, & Sacramentum fuerit validum. qui enim mortaliter peccauit initio anni instituendo confessionem sine sufficienti prævio examine, potest postmodum legitime confiteri, licet illum defectum, & peccatum in priori confessione commissum non explicet: quia nimirum inuincibiliter non aduertit illa esse clauibus subijcienda, quod fieri posse diximus supra in simili de eo qui licet non excusaretur à peccato, dum actum committeret ex ignorantia crassa, quod esset peccatum: supposita tamen ignorantia conditionis actus sui potest inuincibiliter non aduere illud esse in confessione aperiendum. in dicto ergo casu sufficit explicare peccata confessionum inualidarum, quod est notandum pro confessionibus generalibus, quæ interdum sunt ex necessitate instituendæ.

139.

Aduerte 4. quòd quando confessio apud alterum sacerdotem instituitur, debeat integrè, & in particulari fieri: si verò instituatur apud eum, qui priores exceperat, & qui meminere statum penitentis, & penitentiae iniunctæ, sufficiat si vno verbo omnia rursus subijciantur, & addantur omissa, verbi gratia, dicendo subijcio clauibus, quæ aliàs sum confessus, quemadmodum sufficienter instituitur confessio pecca-

torum quæ sunt nota sacerdoti, vel in eius presentia sunt, dicendo: confiteor peccatum, quod vidisti, vel nosti. quod si confessarius nullo modo meminerit status penitentis, & confessio fuerit nulla propter defectum iurisdictionis, integritatis, vel doloris, opus est singula recensere: si verò confessio fuerit legitima, sed Sacramentum fuerit inualidum propter defectum intentionis, vel formæ, Suarez in fine sect. 6. disput. 22. sentit penitentem posse petere absolutionem absque noua peccatorum enumeratione: quia, ut sacerdos rite absoluat, sufficit recordetur hunc penitentem fuisse sibi rite confessum, & bene dispositum, quamuis nullius peccati in particulari recorderetur, & similiter sciat quòd penitens nihil graue postmodum commiserit, in quo stare potest eius iudicio, vel si commiserit, illud adiungat, quo ergo casu penitentia iniuncta est, ita fieri posset, si verò non esset iniuncta, peccata denuo essent recensenda ad æquitatem seruandam in illa imponenda, videri potest Vasquez quæst. 92. art. 3. dub. 3.

Aduerte 5. quando confessarius nullo modo in confessione percepit aliquod peccatum, illud esse repetendum, licet confessio aliàs fuerit legitima; quia hoc iudicium non solum requirit, ut causa à reo dicatur, sed etiam à iudice percipiatur.

QUESTIO VI.

De forma Sacramenti penitentiae.

DVBIVM I.

Quanam sit forma huius Sacramenti?

RESP. esse hanc: Ego te absoluo à peccatis tuis. patet ex Concilio Florent. decreto de Sacramentis, & ex Trident. sess. 14. cap. 1. & ex sensu, & praxi ipsius Ecclesie, quam formam omnino esse conuenientem ex eo patet, quòd Sacramentum penitentiae sit institutum per modum iudicij; penitentia autem absolutionis Rei in iudicio aptè hoc modo fertur: ego te absoluo.

2. Minister in hoc Sacramento reconciliat, & remittit peccata tanquam iudex, quod per prædictam formam optimè significatur, igitur ea est conueniens, cum forma Sacramentorum debeat significare, quod operatur.

Porrò ex communi sensu Ecclesie & Doctorum ita requiruntur verba ad substantiam formæ absolutionis ut nulla alia signa ad eius ad substantiam formæ sufficiant, & Sacramentum perfici nequeat signo, vel scripto ministri, quod etiam indicat Tridentinum supra tradens formam in ministri verbis positam esse. vnde planè improbabiliter aliqui contrarium censuerunt.

Dices 1. non repugnat naturæ iudicij, quòd in eo sententia feratur scripto, vel nutu.

Respondeo ita esse, neque censemus verba in hoc iudicio requiri quòd aliud signum repugnet naturæ

Si in intermedijs confessionibus nihil fuit culpabiliter commissum, Sacram. potest esse validum.

naturæ iudicij, sed quod sensus Ecclesiæ nos doceat verbalem formam institutam pro hoc Sacramento, tanquam legitimam, quemadmodum certus ritus ad valorem sententiæ ita potest à principe requiri, ut absque eo sententia non censetur ferri legitimè, & validè. Congruentia huius institutionis adferri potest, quod forma convenienter debeat distinctè significare, quod facit, quæ distincta significatio competit præcipue verbis. præterea vltatissimè sententia verbis profertur, unde convenienter illum modum perfectissimum, & vltatissimum Christus voluit usurpare ad valorem sententiæ huius iudicij.

Distincta significatio
compe-
nit
verbis.

Obiectio 2.

Resp.

Dices 2. quod confessio possit alijs signis institui, ut constet ex confessionibus mutuum.

Resp. negando inde sequi, quod absolutio possit reipsa validè impendi absque verbis, quia de confessione constat ex sensu Ecclesiæ, quod alijs signis possit institui: de absolutione verò nihil simile habemus, sed contrarium, ut ostendimus.

Nullæ aliæ
preces præ-
ter, vel sub-
sequentes
sunt de sub-
stantiâ ab-
solutionis.

Notandum relata verba ita esse sufficientia ad valorem formæ, ut nullæ aliæ orationes prævia, vel subsequentes, nullæque alia verba, verbi gratia, in nomine Patris &c. requirantur ad illius substantiam, quamvis, ut tradit Trident. supra, preces quedam laudabiliter adiungantur, quæ loquendi formam indicat earum omissionem non esse mortalem. Imò Sotus distinct. 14. quæst. 1. art. 3. §. similiter Durandus, & alij existimant, seposito contemptu, non esse veniale, quod est probabile, cum ex iudicio communi videantur relictæ arbitrio confessorij, & modò plures, modò pauciores adiungantur, facile etiam omitantur in magno pœnitentium concursu. unde non videtur esse vlla consuetudo, quæ obliget ad illas adiungendas, nec etiam est lex. & quamvis in Rituali Romano Pauli quinti præscribantur aliquæ præponendæ absolutioni, aliquæ postponendæ, non tamen est verbum, quod iudicet adiungendas esse sub præcepto.

Concilio
Florent.
Trident.

Congreg.
de Sacram.
hæc Sa-
cramenta.

Uta ex-
plicatio.

Dices S. Leo epist. 91. ait: sic divina bonitatis prædictis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri; igitur aliquæ orationes præter formam relata sunt necessaria ad reconciliationem in hoc Sacramento obtinendam.

S. Thom. quæst. 84. art. 3. ad 2. quem sequitur Sotus art. cit. §. est nihilominus, sentit quidem prædictam Leonis sententiam intelligi de orationibus adiunctis: non vult tamen sine illis fructum huius Sacramenti obtineri non posse, sed S. Leonem ita loqui, quod huiusmodi orationes disponant ad fructum Sacramenti obtinendum. iuxta quam explicationem negatur consequentia. alij paulò aliter respondent, iuxta quos etiam negatur consequentia, sed quantum apparet ex textu, minus conformiter scopo, & sententiæ S. Leonis.

Dico ergo Pontificem verè agere de supplicationibus, sine quibus venia obtineri non possit, sed per eas intelligere formam absolutionis, quam ita vocat quod sit reipsa oratio, quæ Deus colitur, & per quam divina virtus evocatur ad operandum remissionem peccatorum: quæ ratione etiam aliorum Sacramentorum formæ supplicationes, vel orationes dici possunt.

Non solum nullæ aliæ preces ad valorem sententiæ requiruntur, sed nec vllus alius ritus externus, v.g. impositio manus super caput pœnitentis; formatio crucis. imò horum omisio non videtur peccatum, cum ea videantur relictæ sacerdotis arbitrio, sitque indecens, ut pœnitens, præsertim fœmina, tangatur. & quamvis hoc Sacramentum interdum videatur vocari manus impositio, non propterea ea dicenda est essentialis huic Sacramento, quia ita vocatur à caremonia accidentali.

Notandum enim varias esse manus impositiones. aliquæ sunt ritus essentielles quorundam Sacramentorum, qualis est impositio manuum in Sacramento Confirmationis, vel etiam in quibusdam Ordinibus; aliquæ sunt ritus accidentales, ut in hoc Sacramento, alia etiam est impositio manuum, quæ olim solebat adhiberi in reconciliatione in pœnitentiâ solemnî. quæ diversitas est notanda ad intelligenda varia loca Patrum, & Conciliorum.

Difficultas occurrit, num omnia prædicta verba requirantur ad valorem formæ, & eius rationem. asserit Palud. distinct. 22. quæst. 3. videturque favere Trident. cap. 3. cit. his verbis: docet præterea Sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius ritus sita est, in illis ministris verbis positam esse: ego te absolvo &c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quedam laudabiliter adiunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiali nequaquam spectant: ex quâ virtuali oppositione formæ, ego te absolvo &c. cum alijs precibus indicat verba comprehensa sub particula, &c. ad essentiali formæ pertinere.

Confir. sine illis vox, absolvo, non satis significat absolutionem à peccatis.

Sed Doctores communiter contrarium tenent. Caiet. in summa verbo absolutio, Sylvester eodem verbo 6. dubio 4. Valentia disput. 7. quæst. 1. puncto 3. §. tertia opinio, Suarez disputatione 19. sect. 1. num. 22. Vasquez quæst. 84. art. 3. dub. 4. num. 4. & alij, quorum sententia omnino verior. & imprimis non dubitari de particula, ego, quia, etiam si ablit, idem planè sensus relinquitur de particula, à peccatis tuis, idem probatur, hæc particula sufficienter potest exprimi in voce, absolvo, prolata in hoc iudicio, pro quo.

Notandum vocem, absolvo, amplam habere significationem, & ad varia determinabilem, quæ ex intentione proferentis possit ad hanc, vel illam significationem determinari, & ex subiectâ materiâ potest secundum usum communem cognosci accipi in determinatâ significatione, scilicet vel pro absolutione à peccatis, vel pro absolutione à censuris, vel pro absolutione à pœnis, & proinde quando in hoc iudicio dicitur: absolvo te, ex usu communi verbum, absolvo, satis determinatè significat absolutionem à peccatis, cum significatio illius in hoc Sacramento adaptetur iuxta exigentiam materiæ, quam recipit, & cuius remissio petitur in hoc Sacramento. ex quo patet responsio ad id, quod in confirmatione sententiæ Palud. adferebatur ex significatione verbi, absolvo.

Confir. quia si quis petat absolutionem à censurâ, sufficienter absolvetur etiam per illa verba, absolvo te: quia illa verba, præsuppositâ explicatione censuræ, sufficienter determinatè significant absolutionem à censurâ.

Ad id

4.

Varia ma-
nus im-
positiones.
Aliæ essen-
tiales, aliæ
accidentales.

Difficultas
1.
Trident.

Caiet.
Sylu.
Valent.
Suar.
Vasq.
Vetus om-
nia verba
formæ non
esse neces-
saria ad va-
lorem.

5.

Ad id quod ex Concil. Trident. adfertur. Resp. Concilium non posuisse particulam &c. quod censeret ea verba, à peccatis tuis esse de necessitate formæ, sed ut indicaret omnia verba formæ, prout communiter proferuntur, & quæ ab adiunctis precibus censentur distingui, & quod saltem implicite in verbo, *absolvo* contineantur.

Ex his habemus sola hæc verba *absolvo te*, esse de ratione formæ Sacramenti penitentia.

Sed hinc oritur alia difficultas, an quando apponuntur, concurrant ad effectum tanquam pars formæ? ex dictis enim videtur sequi quodd non, cum ante illorum aduentum tota forma sit legitima, & habens significatum necessarium ad sui veritatem.

Resp. concurrere; licet enim verbum, *absolvo*, possit per intentionem ministri determinari ad absolutionem à peccatis, etiam sine alio addito: tamen significatio illius verbi non est ita determinata, ut per eiusdem ministri intentionem non possit relinqui in suo modo significandi confuso, & determinabili per particulas adiunctas, à peccatis tuis, quo casu constat ante aduentum particularum sensum formæ non esse legitimum, & completum, prout Christus instituit, & proinde posse per illarum aduentum compleri, & significationem verbi determinari ad absolutionem à peccatis. aliter huic difficultati satisfacit Vasquez loco citat. num. 6.

Oritur 3. difficultas, an saltem sit peccatum illa verba omittere? Toletus lib. 3. cap. 12. censet eorum omissionem scienter factam esse grave peccatum, sed probabilius est non esse grave: quia veritas formæ sine illis subsistit, & non adferunt novum significatum, quod in alijs non possit intelligi, & de cetero materia non videtur gravis.

Petes an hæc forma proferri possit modo deprecativo?

Resp. negativè, sumitur ex D. Thom. quæst. 84. art. 3. ad 1. quia minister in hoc Sacramento se gerit, tanquam iudex, qui modo iudiciali sententiam proferat, quod fieri debet authoritativè, non autem deprecativè. quodd si forma proferatur authoritativè, erit valida, licet proferatur modo Græcorum, v. g. dicendo: absolvatur talis, vel absolvaris.

Notandum autem prædicta verba materialiter sumpta, non ita esse necessaria, ut æquipollentia ad valorem formæ substitui non possint, ut communiter Doctores, & sequitur ex dictis de Sacramentis in genere. valet enim absolutio si dicatur: ego tibi peccata remitto, condono, remittuntur tibi peccata, Sacramentum absolutionis tibi impendo &c. imò varij censent his, & similibus casibus quando forma non additur dubia, non committi peccatum mortale, seposito scandalo, ut Sotus art. cit. in fine. Valentia puncto cit. §. esset tamen peccatum: alijs tamen videtur esse peccatum mortale, eo quod modus ordinarius absolvendi ex consuetudine graviter obliget, neque possit occurrere iusta causa illum mutandi. in quod propendit Vasquez art. 3. cit. dub. 3. num. 12.

Sotus. Valent.

D V B I V M II.

Quis sit sensus huius formæ?

MAGISTER in 4. dist. 18. refert quosdam sensisse peccato per Deum remisso per sacerdotem remitti debitum poenæ æternæ. quæ sententia tribuitur Hugoni de S. Victore.

Ipsæ Magister dist. cit. docet sensum huius formæ esse: *declaro, vel ostendo tibi remissum peccatum*, in quam sententiam plurimos antiquiores citat Vasquez quæst. 84. art. 3. dub. 2.

Tertia opinio esse potest, quod per hanc formam tollatur obligatio comparandi in iudicio Ecclesiæ.

Sed communissima saltem hoc tempore sententia est, sensum huius formæ esse, quod penitens ab ipsis peccatis propriè dictis, seu ab ipsa culpa absolvatur, seu formam significare absolutionem sacramentalem à peccatis. tenet S. Thom. quæst. 84. art. 3. ad 5. ibidem Sotus dist. 14. quæst. 1. artic. 3. §. hanc magistri opinionem, & pascim recentiores. quæ sententia ita est vera, ut aliæ non possint absque notâ defendi. unde Resp. &

Dico per formam Sacramenti penitentia verè significari remissionem & absolutionem ipsius peccati seu culpæ.

Probat 1. ex Ioannis 20. ubi Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus datur potestas remittendi peccata, quod debere intelligi de potestate remittendi ipsam culpam patet ex proprietate vocis, *peccatum*, hic autem nihil est, quod cogat aliter accipi. hæc autem potestas intelligitur exercenda in Sacramento penitentia, ut definit Concil. Trident. sess. 14. can. 3. de penitentia, ergo sacerdos verè, & propriè remittit peccata in hoc Sacramento; id autem præstat per formam absolutionis, quæ id significat quod operatur, igitur forma significat verè, & propriè peccati seu ipsius culpæ remissionem.

Confir. ex Florent. tradente effectum Sacramenti penitentia esse absolutionem à peccatis, quod verè, & propriè designat remissionem ipsius culpæ, nihil autem cogit verba Concilij improprie accipere; hic verò effectus designatur per formam.

Idem confir. 2. ex Trident. sess. 14. cap. 6. tradente absolutionem sacerdotis non esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed esse ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à iudice sententia pronuntiatur, quod ipsum definit can. 9. igitur forma absolutionis est verè sententia, & actus iudicialis, quo penitens absoluitur à peccatis, & culpis.

Probat 2. ex Chrysostomo lib. 3. de sacerdotio dicente: corporis lepram purgare, seu verius dicam, *haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudeorum sacerdotibus solis licebat, &c. at verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes non dico purgare, sed probare, sed purgare profus concessum est.*

Obijcies Hieron. in cap. 16. Matthæi in illa verba; *et dabo tibi claves: &c.* dicendum, quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & presbyter, non enim qui infomes sunt vel noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quævis solvendus. quibus verbis nostros sacerdotes comparat sacerdotibus Leviticis, qui non faciebant mundos, sed solum declarabant.

Resp.

Resp. Hieron. ad hoc tantum comparationem instituit, ut retundat superbiam quorundam existimantium se posse pro arbitrio ligare innoxios, vel solvere noxios: non vero quod velit nostros sacerdotes per omnia antiquis comparare.

Probatur 3. ex eo quod penitentia sit secunda post naufragium tabula, quod dici nequit, si in hoc Sacramento peccata solum declarantur remissa, non etiam remittantur.

4. Si forma solum significet, *declaro te absolutum*, sacerdos non tollit culpam, & proinde per institutionem huius Sacramenti reconciliatio non est reddita facilius, sed e contrario magnum onus hominibus est impositum.

Probatur 5. ex Trident. sess. 6. cap. 14. docente penam aeternam vel Sacramento vel Sacramenti voto una cum culpa remitti. ex quo clare constat culpam per Sacramentum penitentiae (de quo ibi est sermo) remitti, & proinde id per formam significari, addi potest hanc propositionem: *Peccator penitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolutus, damnata a duobus Pontificibus.*

Ex his facile patet falsitas sententiae Magistri, similiter primae sententiae, quae etiam ex eo capite ostenditur falsa, quod remissa culpa saltem de potentia ordinaria nunquam remaneat poena aeterna, quae proinde non relinquitur dimittenda ad sensum illius sententiae: nam poenam aeternam remitti una cum culpa patet ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 14. cit.

Patet etiam falsitas 3. sententiae, quae etiam ex eo capite refellitur, quod vera sit forma in confessione venialium, quae nullus tenetur clauibus subicere, vera etiam sit, licet remaneat onus comparandi, ut interdum accidit in confessione referuatum.

Notandum absolutionem sacerdotis in subiecto disposito ita esse efficacem, ut eodem temporis momento, quo completur, infundatur gratia, per quam remittitur mortale, ita ut in re ipsa simul sint absolutio sacerdotis, & Dei: quodam tamen sensu absolutio Dei potest dici prior, scilicet dignitate, quia Deus est causa principalis: alio vero sensu absolutio sacerdotis potest dici prior. 1. quia forma absolutionis est natura prior, quam infusio gratiae. 2. quia consilio nostro modo concipiendi sacerdos prius censetur absolueret, & postmodum Deus eius absolutionem ratam habere, ut Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio dicens: *Id autem quod dicitur sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam continet, atque ad calos usque pervenit, usque adeo ut quicumque inferne sacerdotes consecraverint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet.* pro quo

Aduerte quod licet sententia sacerdotis possit comparari sententiae iudicis inferioris: ita tamen sit definitiva, ut eodem instanti sequatur approbatio, quando subiectum est dispositum, & ab ea non sit appellatio.

Quod diximus Deum esse causam principalem remissionis peccatorum in Sacramento penitentiae, ostendunt quidem varia loca Patrum, quae loco cit. adducit Magister: non tamen ostendunt sacerdotem tanquam Dei instrumentum & ministrum culpam non remittere.

Pro sententia Hugonis obicitur potest Gregorius qui hom. 26. in Evangelia agens de Lazaro, quem Dominus suscitavit, ita habet: *Ex qua consideratione inueniendum est, quod illos nos debemus per pastorem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus.*

per suscitantem gratiam vivificare, quae nimirum vivificatio ante operationem reclinandis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati. & paulo post: *Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator: venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiae poenam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.*

Resp. Gregorium non velle penitentem debere prius vivere vitam gratiae sanctificantis, & re ipsa debere prius esse absolutum a Deo, quam solvatur a sacerdote, sed quod sacerdos non possit pro arbitrio absolueret, ut Hieron. supra citatus, sed pro officio eum, cuius per suscitantem gratiam, id est excitantem gratiam, Deus cor tetigit, & quem aliquo modo vivificavit, id est, excitavit ad peccati dolorem, & confessionem, quique per huiusmodi actus aliquo modo incipit habere opera vitae. quod satis colligitur ex verbis Gregorii: *Veniat foras mortuus*, id est, culpam confiteatur peccator. per ultima vero verba non vult sacerdotes solum poenam amovere, idque esse adaequatum effectum absolutionis, sed quod per satisfactionem iniunctam, & impletam ea saltem aliqua ex parte remaneat.

Pro sententia Magistri potest obici, quod non appareat quis alius sensus formae esse possit, quando quis cum praevia perfecta contritione confitetur, vel etiam confitetur venialia iam remissa, vel etiam mortalia aliis legitime confessis, & remissa. & ut sumamus id quod est indubitatum, in confessione venialium iam perfecte remissorum non potest dici remitti peccatum, cum supponatur remissum, non potest dici remitti poena aeterna, quia peccatum veniale per se non meretur poenam aeternam, neque dici potest hominem liberari ab obligatione comparandi coram sacerdote, quia cum non teneatur confiteri venialia, non subiacet illi obligationi, denique neque necessario debet dici remitti poenam temporalem, quia ea potest esse remissa ratione contritionis. idem discursus fieri potest de mortali aliis confessis, & remissis sine reservatione, cuius tota poena etiam temporalis potest esse remissa ante repetitionem confessionis. his casibus non potest esse alius sensus formae quam: *Te declaro absolutum a peccato.*

Resp. negando assumptum, & dico etiam eis casibus formam significare interiorem animae renovationem, eamque conferre. pro quo

Notandum quod per Sacramentum penitentiae non solum conferatur gratia sanctificans, quando homo ad illud accedit in peccato, sed etiam quando accedit iam iustificatus, quia Sacramenta homini non ponenti obicem conferunt gratiam sanctificantem; nemo autem dici potest obicem ponere, quod iustus ad hoc Sacramentum accedat.

Porro gratia, quae in hoc Sacramento confertur, confertur ad finem reconciliationis cum Deo: cum enim hoc Sacramentum sit institutum per modum iudicii, in quo homo, qui per peccatum a Deo se auertit, cum eodem reconciliatur, & peccatorum remissionem acquirit; peccata autem mortalia non remittantur saltem de lege ordinaria sine infusione gratiae sanctificantis, Deus instituit, ut per hoc Sacramentum conferretur homini legitime disposito gratia sanctificans, in quantum peccati remissiva, & reconciliativa: quemadmodum per baptismum confertur eadem gratia tanquam regenerativa. & hoc est quod per formam significat

sacerdos, scilicet quod tanquam minister conferat gratiam ex se peccati remissionem, & per quam homo coniungatur Deo per modum reparationis à peccato, quod fieri potest siue homo necdum fuerit iustus, siue iustus accedat ad Sacramentum. quia iustitia illius non impedit, quod minus quando accedit legitime dispositus, & causam subiicit clauibus, conferatur illi gratia ut peccati remissio & ad finem reparationis. quia per accidens se habet ad confessionem, quam instituit, quod non sit reipsa in statu peccati.

Forma in omni confessione eundem sensum habet quoad primarium significatum.

Venialia in Sacram. non remittuntur sine gratia infusione.

Potest gratia à Deo infundi ut homo per eam acquirat remissionem venialium.

14. Alia explicatio veterum formarum.

Vnde patet quomodo forma in omni confessione eundem sensum habeat quoad id quod primarium significat, scilicet quoad collationem gratiae ut reconciliatur: quia quantumvis saepe homo idem peccatum clauibus subiiciat, per absolutionem nouam gratiam recipiet, eamque ut peccati sanationem, per quam magis, ac magis censetur mundari à peccato. hæc autem non solum locum habent respectu peccatorum mortalium, sed etiam respectu venialium. quamuis enim ad horum remissionem, per se loquendo, non sit necessaria infusio gratiae habitualis: tamen in Sacramento penitentiae non remittuntur sine eiusdem gratiae infusione; supposito enim quod in hoc Sacramento possint clauibus Ecclesiae subiici, eodem modo per Sacramentum gratia confertur, quæ ad eorum remissionem concurrat. nec obstat quod gratia secundum se non repugnet cum peccatis venialibus, possitque cum iisdem in eodem subiecto inueniri: quia nihilominus potest infundi à Deo, ut homo etiam per eam illi reconcilietur, & acquirat remissionem venialium, quæ legitime clauibus subiicit, & ut substat tali intentioni, potest aliquo modo dici repugnare venialibus. quamuis hæc solutio bona sit, & solida.

Res videtur etiam posse aliter explicari, quod videlicet peccatum semel commissum hominem in illo statu constituat, ut quantumcunque peccatum fuerit ei remissum, nihilominus possit semper de eo conteri, se accusare, & sententiam recipere, licet enim postquam semel est remissum, non constituat amplius hominem Deo inimicum, & dignum supplicio: præbet tamen sufficiens fundamentum sese reum constituendi, & petendi absolutionem ab illo, iuxta quam explicationem etiam patet quomodo forma possit esse vera, & significare absolutionem à culpa, licet ea prius fuerit condonata, quia forma non necessario debet significare absolutionem à culpa, quæ hominem actu afficiat, & denominet peccatorem, sed quam commisit, & cuius veniam petit, etiam si antea fuerit condonata. simile quid etiam in foro exteriori fieri posset, quamuis id in illo non sit ita visitatum, quod tamen in hoc Sacramento vtiliter sit, ed quod per Sacramentum semper noua gratia accedat disposito.

D V B I V M III.

Vtrum forma absolutionis lata circa absentem sit valida?

15. **S**UPPONGO esse illicitum absentem absolueri, quod patet ex decreto Clementis Octauo q. 4. dub. 3. ita ut nullo vnquam casu id liceat sub pena excommunicationis latæ sententiæ, & aliis penis in prædicto decreto inflictis. comprehenditur verò etiam articulus mortis, cum Pontifex nullo modo eum exceperit, hoc præmissis

Dux sunt de præfenti questione sententiæ. Prior asserti huiusmodi absolutionem esse validam ita Palud. dist. 17. q. 2. art. 1. Syluester verbo confessio 4. qu. 6. Ioan. Medina cod. de confessione qu. 15. §. quantum dictum, Nauar. in summa cap. 21. num. 36. & plures alij quos citant Suarez disp. 19. sect. 3. num. 2. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 2.

Posterior negat. Caiet. in summa, verbo confessio, conditione 11. & colligitur ex iis quæ dicuntur Victoria num. 171. Sotus dist. 18. q. 2. art. 6. Tolet. lib. 3. cap. 6. tenet etiam Valentia disp. 7. q. 1. puncto 1. circa finem, & plures quos citant & sequuntur Suarez supra num. 7. & Vasquez supra num. 3. doceturque communiter hoc tempore.

Hæc sententia est omnino verior, quæ probatur ex forma. *Ego te absoluo*, nam particula, *te*, sensu, & usu omnium atque adeo ex proprietate verbi designat personam præsentem, ad quam sermo, & vox humana dirigitur, ergo ad veritatem formæ, atque adeo ad eius valorem requiritur, ut persona, quæ absoluitur, sit præsens: quemadmodum forma consecrationis Eucharistiæ ad sui valorem requirit materiam consecrabilem præsentem, quia proprietates demonstratui, hoc, id exigit.

Nec obstat quod forma proferri possit more Græcorum. *Absoluitur servus Christi*, quia cum talis forma debeat æquivalere formæ consuetæ, debet saltem confusè dirigi ad præsentem.

Non obstat etiam quod scribentes ad aliquem absentem interdum utamur particula, *se*, ut *saluamur tuum tibi commendo* &c. quia id fit, quod fictione quadam censeamur cum præfente agere. ceterum humanâ voce non vtimur particula, *se*, nisi persona, cui loquimur, sit verè præsens. Constat autem ex dictis formam huius Sacramenti humanâ voce proferendam, & nos per eam sermonem dirigere ad penitentem, eique loqui.

Ex quo patet non obitare nostræ resolutioni, quod sententia in iudicio loquendo in genere, & spectatâ rei naturâ ferri possit in absentem, quia cum ex sensu Ecclesiæ nobis constet verba relatâ requiri pro forma huius Sacramenti, & ut sententia sit legitima, quæ verba non possunt verificari respectu absentis, constat formam huius iudicii non futuram validam, si proferatur super absentem. & sanè cum hoc iudicium varia habeat peculiaritatem, quæ partim ex sensu Ecclesiæ, partim ex particulari eius ratione nobis innotescunt, ex sensu Ecclesiæ, & ex eo quod prædictis verbis, vel æquipollentibus forma in eo sit proferenda, constat debere ferri in præsentem. aliter ex sensu Ecclesiæ possumus discurre de confessione, quæ est accusatio, & ipsius iudicii inchoatio.

Quædam exempla in contrarium adferuntur. sed aliqua sunt incerta, ut quod refertur de S. Thoma Cantuariensi quod absens petierit absolutionem. & ut esset verum, posset intelligi de absolutione à censurâ, quam forte ad cautelam petierit talis autem absolutio ex usu Ecclesiæ circa absentem ferri potest. aliud quod petitur ex Cypriano constat non esse ad rem, cum absolutio, de qua apud Cyprianum agitur, fuerit commissâ diacono in defectum sacerdotis; constat autem diaconum non posse sacramentaliter absolueri.